Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26083
Copyright: Admont, Benediktinerstift

nationes obseruari prohibuit. Nec
agrum seri diuerso semine. nec iumenta
diuersi generis coire. nec ueste ex duobus
texta indui. nec comam in rotundum
tonderi. nec barbam radi. nec car-
nes suas super mortuos incidi. nec
figuras aliquas aut stigmata in
camera sua fieri. In quibus et similibus
ad litteram subintelligendum est secundum
ritum gentium. et maxime egyptiorum cum
quibus habitauerant. Nam et dauid mu-
lam legitur habuisse super quam positus est
salomon. et delatus ad fontem geon
ad ungendum. Sed egyptus omnia uel omnige-
num gentium uenerans monstra deorum
in honore diuersorum deorum quos puta-
bat talibus preesse. diuersa semina in agro.
diuersas materias in ueste. seruabat. di-
uersos etiam cicinnos capitis. diuersis diis
sacrificabat. Unde in principio horum precep-
torum dixit dominus. iuxta consuetudinem terre
egypti. in qua habitastis non facie-
tis. iuxta morem regionis ad quam ego intro-
ducam uos non agetis. Addidit spe-
ciale preceptum cum intrarent terram
promissionis. ut auferrent preputia
arborum quas plantarent. quod ipse expo-
nens subdit. poma que germinant
immunda erunt uobis. Hoc tamen non est in he-
breo. et uidetur uelle quod et fructus primorum
trium annorum et immundus esset. et ab-
iciendus. fructus quarti anni sacer domino
et communis pauperibus. Sed in quinto an-
no et deinceps domini sui essent et esi-
biles. De tribus generibus panum.

Ad euidentiam quoque eorum que
hic in leuitico traduntur. sci-
endum est sacerdotes habuisse tria genera
panum. panes sacerdotales. leuiticos.
laicos. Sacerdotales erant panes
propositionis. que de publico sumptu
fiebant. quos non licebat edere nisi so-
lis sacerdotibus. panes leuitici. qui et of-
fertorii. quibus soli de genere leui uesce-
bantur. et qui propter maculam ministra-
re non poterant. Et filia familias. sed non
uxorata. uel uidua. uel repudiata. non ne-
cessitate rediret ad domum patris ut
esset quasi filia familias. his non uescebantur
aduena. inquilinus. mercennarius sacer-
dotis. unde tamen uel empticius ipsius uesci
poterat. Laici id est communes dicebantur
quibus quicumque poterat uesci.

De seimonia sacerdotum.

De seimonia que sacerdotum agens
dicit. primo de minoribus sacerdotibus tra-
didit. ne contaminarentur in mortibus
ciuium suorum. nec etiam principis populi. non tamen
super patre et matre et filio et filia. fratre
et sorore uirgine. ne scilicet lauarent uel
sepelirent. uel tangendo plangerent
mortuos alios. Hec tamen aliis prohibi-
ta. eis intellexit uxores. Sed nec con-
cubinas. nec in uxorem ducere scor-
tum. nec ancillam. nec captiuam. nec
uiduam. aut repudiatam. nec eas que
de cauponibus et pandocibus id est apothe-
cis uenalibus uitam agunt. Pontificem
uero ad nullum omnino mortuum ingredi
uoluit. Unde et dominus papa nullius exequiis
interesse dicitur. nec uxorem ducere nisi uirgi-
nem. et tamen de populo suo. Sed nec patriarcha
domini pape muros urbis excedit. In
Item precepit ne sacerdos in diebus uicis-
situdinis cum ministrare deberet. uinum bi-
beret. aut omne quod inebriare potest. ut
sciret discernere inter sanctum et prophanum
mundum et inmundum. et doceret filios
israel legittima que locutus erat dominus. et
ne sacerdos dum quamquam inmundus
esset accederet ad tangenda ea que
offerebant filii israel. Patet si sacerdos